

Sunt, longa adsuetis requie, mollique cubili

Quæis ærumna omnem depulit ex animo

Torporem, & docuit noctes vigilare serenas,

Aut fessum in gelida ponere corpus humo;

Sunt, quos lætitia se se profundere inani

Suetos, & nugas corde agitare leves,

Mentibus omnivagos, oculis fœde omnituentes,

Ærumna haud longo in tempore mirifice

Composuit rigidæ ad normam virtutis, & alto

Mentem animi cœlo, lumina fixit humo,

Mœroremque pium inspirans, & vana coercens

Gaudia dementi proxima stultitiæ.

Candida quid sancti servatrix Diva pudoris?

Ærumnæ multum debet & ipsa; gravi

Pondere curarum nec pressis blanda voluptas

Obscœnis mentem pulsat imaginibus;

Incaſsumque faces agitat fædus puer ille,

Ille comes risus nempe, levisque joci.

Quid bona paupertas, fortunæ dona faventis

Quam certant miseram sedibus e propriis

Exturbare astu paullatim, & pellere matrem,

Matrem heu! gnatorum a limine? nonne viget?

Nonne suas servat multo jam tutior ædes,

Unde abiit rerum copia pulsa procul?

Copia, paupertas multo quam valdius unam,

Quam duramque famem, & frigora sœva timet;

Quicum velle negat sub eodem vivere tecto,

Et jungi diti nempe repugnat inops.

Illa quid, intentis nutum quæ servat ocellis,

Rectorum & dictis omnibus obsequitur,

Illa Deo virtus vel blandi thuris honore,

Vel pecudum multo sanguine grata magis?

Pulchrius adversis in rebus clara resulget,

Substringitque aurem strenua, ut imperium